



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

1 Ex quo grano conficiendus sit panis consecrandus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymio.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymio. Debet enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum in pane fermentato...

Præterea, legalia non sunt obseruanda tempore gratiæ. Sed vti azymus fuit quadam legalis cæremonia...

Præterea, Azymum & fermentatum sunt accidentia panis, non variantia eius speciem. Sed in materia baptisimi nulla discretio adhibetur...

Sed contra est, quod extra de celebratione Missarum canonicæ Literas, punitur sacerdos, quod in pane fermentato & cypho ligneo Missarum solemniter celebrare presumpserit.

Respondendo dicendum, quod circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari, scilicet, quid sit necessarium, & quid conueniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus...

Respondendo dicendum, quod circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari, scilicet, quid sit necessarium, & quid conueniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus...

Ad primum ergo dicendum, quod sicut legitur Exod. 12. solemnitas Paschalis incipiebat in vespera quarta decima lune, & tunc Christus post immolationem agni Paschalis hoc sacramentum instituit...

est plenius in tractatu Dominice Passionis. Ad secundum dicendum, conficiens ex azymio, non intendunt cæremonia legis seruare, sed conformare se institutioni Christi...

Ad tertium dicendum, quod fermentum significat charitatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem & maiorem, sed corruptionem significat ex ipsa ratione speciei.

Ad quartum dicendum, quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corruptio non potest confici hoc sacramentum...

COMMENTARIVS.

Quid panis azymus, quidue fermentatus sit, ex linguis Græca & Latina, & ex vtu conficiendi panem supponendum est, solet enim quadam massæ portio fieri ex materia decocta, & donec accescat...

DISPUTATIO XLIV.

De materia panis seu remota, ex qua conficitur Corpus Christi.



In superiori disputatione diximus necessarium esse panem ad conficiendum Corpus Christi Domini, nunc superest, ut dicamus cuius naturæ & qualitatibus oporteat esse hunc panem...

SECTIO I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem, ut sit sufficiens materia huius sacramenti.

Vt veniamus ad punctum difficultatis, supponendum est, panem ex triplici genere rerum confici solere. Primo ex truncibus arborum, ut ex castaneis...

Vertical marginal notes on the left side of the page, including references to 'ad 119', 'in hoc sacramento', 'in glosa', 'lib. 17', 'Etymo', 'Pimius', 'Galeno', 'S. Isidorus'.

Vertical marginal notes on the right side of the page, including references to 'Loco citato', 'In corp. art.', 'Quæst. 46', 'Art. 3', 'boniss', 'q. 24', 'ad arg', 'Art. 3', 'boniss', 'q. 24', 'ad arg', 'Pimius', 'Galeno', 'S. Isidorus'.

neis, ficibus, & amygdalis, &c. & apud Indos dicitur confici ex radicibus. Secundo ex leguminibus, vt ex fabis, &c. Quae in siliquis aut teguminibus, vel folliculis crassioribus nascuntur. Tertio ex gramis, quae generali appellatione frumenta dicitur, quamquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia femina, quae falce metuntur, seu quae habent culmum, & arillas, & grana sine filiquis.

Secundo supponendum est, panem factum ex fructibus, vel leguminibus non esse materiam consecrationis, in quo conueniunt omnes Theologi, quia hic non est panis simpliciter, sed secundum quid, nomine enim panis intelligitur homines communiter quoddam genus cibi, quod adhibetur, tanquam comes aliorum ciborum, & ideo dictum creditur vel à voce Graece *πᾶν*, quod est, omne, quia est veluti generalis cibus, vel à pascendo, quia illo maxime pascuntur homines. Vnde in scriptura sacra solet hac voce omnem alimentum hominis significari, at vero panes confecti ex leguminibus, vel fructibus non habent hunc usum, vt aliis cibis comites adhibeantur, sed potius ipsi panes comeduntur, & ideo non sunt simpliciter panes, nec materia huius sacramenti, eo vel maxime, quod ij non sunt in communi vsu hominem, sed interdum sunt, vel ex accidenti propter defectum, vel sola causa voluptatis & deliciarum.

In quo sit difficultas. 3. Opinio.

Gabriel. Argentina.

Tota ergo quaestio reuocatur ad panem frumentaceum, an quaelibet species eius sufficiat, vel tantum aliqua vltima vel subalterna. Prima enim sententia affirmat totum hoc genus sufficere, siue panis triticeus sit, vel hordeaceus, vel similes. Ita docet Gabriel lect. 35. in Can. vbi refert Thomam de Argēna d. ff. q. 1. qui simpliciter affirmare non audet, negat tamen posse contrarium satis probari, idem Gabriel ibidē, art. 7. idem tenuit Caietanus hic, quamquam in Romana imprefione, pars illa Commentarij expuncta sit. Fundamentum est, quia si ad institutionem huius sacramenti recurramus, solum legimus, Christum accepisse panem, & in illo consecasse, si ad Ecclesiae traditionem, solum docet panem esse materiam, ca. Firmiter, de sum. Trin. cap. Cum Marthae. de celebr. miss. c. 1. & seq. de consecratione dist. 2. ergo non licet nobis hanc materiam restringere, sed panis vt sic, abstrahit & indifferens est ad omnem panem frumentaceum, & quilibet panis ex frumento confectus dicitur simpliciter panis, siue triticeus sit, siue hordeaceus, &c. Vnde vtroq; legimus Christum esse usum, & praesertim de hordeaceo constat. Iohannis 6. & aliis locis. ergo. Et confirmatur, nam in Concil. Carthag. tertio. cap. 24. & habetur cap. in sacramento, de Consecratione, dist. 2. dicitur: In sacramentis nihil aliud esse offerendum quam de vuis, & de frumentis, quodlibet ergo frumentum sufficit. Secundo est vehementer coniectura seu congruentia, quia materia sacramenti debet esse certa, si autem dicamus genus frumenti sufficere, erit certissima: si vero requiramus aliquam speciem, verbi gratia, tritici, erit nimis incerta, tum, quia vix potest distingui triticum à non tritico, vt à milio, spelta & similibus, tum etiam, quia in granis tritici videtur esse diuersitas specifica, & nõ erit maior ratio admittendi vnã speciem, quam aliam, si autem omnes admittantur, eadem ratione poterunt omnes species frumenti admitti. Et confirmatur, quia materia huius sacramenti debuit esse communissima, vt in omnibus regionibus facile posset reperiri, huiusmodi autem est frumentum in genere: at vero triticum multis in regionibus non reperitur, vt de Æthiopia refert Plinius lib. 18. c. 10. & de nouo orbe idem refertur. Tertiam rationem adhibet Caietanus, quia omnis panis ex quocunq; grano confectus sit, est eiusdem speciei, sicut sanguis idem ex diuersis cibus generatur, materia autem huius sacramenti nõ est granum, sed panis: ergo erit sufficiens ex quocunq; frumento fiat.

Cont. Carthag.

Plinius.

Dicendum vero est, solum panem triticum esse sufficientem materiam, ita vt in alio non periciatur consecratio. Hęc conclusio est iam hoc tempore tam certa, vt sine temeritate, & erroris periculo negari non possit. Est communis Theologorum sententia. D. Thom. hic, & in 4. cont. gent. cap. 69. & in 4. dist. 11. quaest. 2. art. 2. vbi Bonauent. 2. p. q. 4. Pal. q. 1. art. 4. Scoti quaest. 6. Richar. art. 3. quaest. 2. Durand. quaest. 4. Innocent. libr. 4. de mysterio missae, c. 3. tenent reliqui omnes recentiores Theologi, & omnes Summiste. Et in Catechismo Pij V. dicitur, esse hanc Apostolicam traditionem. Et probatur vrgentissime ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, vbi dicitur, materiam huius sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite. Respondet Caietanus, illis verbis solum significari, panem triticum esse de necessitate praecipi, non vero de necessitate sacramenti, & Alanus lib. de Euchar. cap. 11. incertum esse dicit, nec audere, se temere asserere, quo horum modorum intelligendum sit. Ego vero censeo non solum sine temeritate, sed etiam sine dubitatione intelligendum esse, ibi esse sermonem de necessitate sacramenti, quia alias nihil certum relinquitur in materiis sacramentorum. Eadem enim ratione posset aliquis dicere, aquam naturalem esse de necessitate praecipi, non tamen sacramenti, atque nihil ibi esse certum, si ergo alia materia intelliguntur esse de necessitate sacramenti, etiam hæc, eo vel maxime, quod alia particula, scilicet, Vinum de vite, explicat materiam necessariam, necessitate sacramenti, ergo eodem modo est altera particula intelligenda. Deniq; vbi Concilium illud voluit docere, aliquid esse necessarium ex praecipto, non vero simpliciter, non dixit esse materiam, sed adhibendum esse, vt cum docere voluit missionem aquae esse necessariam, quia hæc non est de necessitate sacramenti, sed praecipi, mutauit dicendi modum, in quibus, materia esse vinum de vite, cui aqua miscenda est. Secundo probatur, hanc esse institutionem Christi, quae licet non sit expressis verbis in Euangelio declarata, colligi tamen potest ex facto Christi, adiuncta Ecclesiae declaratione, per traditionem, atque obseruationem perpetuam, nam Christus Dominus in pane triticeo confecit, vt omnes admittunt, quia non est verisimile panem azymum, qui ad Paschale festum, & ad esum agni conhibebatur, ex alia materia, quam triticea fuisse. Dicit autem Concilium Carthaginense dicto c. In sacramento nihil aliud offerendum esse, quod Christus Dominus tradidit, sicut n. tangendo in baptismo suo naturalem aquam, illam ad sacramentum baptismi destinavit: ita accipiendo panem triticum in manus suas, & illam consecrando, ipsi in materia huius sacramenti instituit. Sicut n. dicendo talia verba, instituit illa, vt esset forma, ex vi consequentium verborum, Hoc facite in meam commemorationem. Tertio licet sub nomine frumenti, seu frumentorum, varia grana interdum comprehendantur, vt supra dictum est, sequenter tamen nomen frumenti absolute dictum, solum triticum significat, vt colligitur Gen. 44. clarius Deut. 8. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarum, & fontium, terram frumenti, hordei, ac vinearum: & subdit infra: vbi absq; vlla penuria comedes panem tuum. Similia loca sunt Hieremias 2. & Ioel. 1. Vnde etiam in veteri Testamento, nomine frumenti adubatur hoc sacramentum, vt patet Pf. 30. Cibauit eos ex adipe frumenti, & de terra melle saturauit eos, & Pf. 147. Qui posuit fines tuos pacem & adipe frumenti satiat te: nomine frumenti triticum intelligitur. Vel certe si frumentum generatim sumatur, ad panem frumenti dicitur ipsum triticum, quia in idem redit, & sic etiam intelligit Hieron. locū Hier. 31. Confluent ad bona Domini super frumento, vino, & oleo. Super frumento, inquit, de quo conficitur panis Domini, & Zach. 9. Quid enim bonum eius, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vbi Hieron. Frumentum

mentum, inquit, electorum nos intelligimus Domini Saluatorem, qui in Evangelio dicit, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, &c. Sic enim ipse legit, & subdit, De hoc tritico efficitur ille panis, qui de celo descendit. Vnde tacite interpretatur illa Christi verba Io. 12. Nisi granum frumenti de grano tritici intelligenda. Et ita ex eodem argumetur hic Diuus Tho. quia Christus grano tritici seipsum comparauit. Denique idem Hieron. circa illa verba, Isa. 62. Si dederit triticum tuum vltra cibum inimicis tuis. Triticum inquit, ex quo panis celestis efficitur, illud est, de quo Dominus loquitur, caro mea vere est cibus. De hoc etiam Sacramento multi intelligunt illud, Olex 14. Vident tritico, & germinabunt, quasi vinea memoriale, quasi vinum Libani. De quo testimonio videri potest Turrianus lib. 2. de Euchar. ca. 33. solet etiam induci illud Psal. 71. Erit firmamentum in terra, nam Hebraei habent, erit pugillum frumenti, seu placenta frumenti. Vnde antiqui Hebraei illi intellexerunt, praedicti sacrificium panis, vbi nota lanien. Galat. lib. 10. de Arcanis, ca. 4. Quarta coniectura sit, quia solus panis triticus est panis simpliciter hominibus accommodatus, nam ex hordeo & similib. non tam humanus panis sit, quam belluinus, quamuis non nunquam ob necessitatem cogantur homines illum comedere. Et ita in Scriptura, quando panis non est triticus, additur aliquid, vt hordeaceus, Ioan. 6. & Num. 5. cum vero dicitur panis simpliciter, intelligitur triticus, praesertim de sacro vtu sermo sit. Est optimum exemplum ad rem praesentem pertinens Gen. 14. vbi Melchisedech obtulit panem & vinum, omnes enim intelligunt, panem illum triticum fuisse, vnde Damas. lib. 4. c. 14. dicit, hoc Sacramentum institutum fuisse in eo pane, quo communiter & frequenter homines vescuntur, hic enim est panis simpliciter humanus. Vnde ad hoc confit mandum valere omnia, quibus supra probauimus, panem esse materiam huius Sacramenti, & testimonium Sanctorum ibi citata, & figura adducta, qualis est illa, quia panes propositionis, qui fuerunt figura huius Sacramenti, ex simila, id est, ex farina tritici conficiebantur, Leti. 24. Exod. 29. ergo. Vltimo congruentia D. Thomae sit optima, quia solus panis triticus est satis accommodatus ad effectum huius Sacramenti significandum: adde, solum illum de cunctis excellentiam, & dignitatem huius Sacramenti.

Ex hoc ergo principio sequitur primo: panem confectum ex grano, de quo certum est non esse triticum, certum etiam esse, non esse sufficientem materiam huius Sacramenti. Exempla sunt, hordeum, milium, quod a tritico distinguitur. Ezech. 4. panicum, oriza, maizium, & si quae sunt alia grana similia, quae certissime non sunt triticum. Primo ex eorum modo loquendi sapientiam in hac materia. Secundo ex eorum vtu & appellatione hominum: nunquam enim haec grana vocant triticum, neque illis videntur ad conficiendum panem hominum & vtilem, nisi ob defectum tritici. Tertio ex colore, figura, & aliis proprietatibus & effectibus, & aliquid indicium est, quod ex his granis nunquam generatur triticum, neque illa ex tritico.

Secundo sequitur, omnem panem confectum ex grano, quod reuera constat esse triticum, quamuis aliter nominetur, esse certam materiam huius Sacramenti. Exempla sunt primum, filigosa d. Thomas hic quem Caeteranus, Soto, Syluester, & alij sequuntur, & Plinius libro 28. capite 8. vocat filiginem, de his tritici, vnde censetur esse, quod nos, Candea, vocamus, & multi existimant esse, quod Graece dicitur *σάρα* quamquam haec vox interdum far, interdum auenam significare dicatur. Vnde Columella vitium tritici: & eadem ambiguitas fortasse est in voce filigo, quod in his nominibus frumentorum obseruandum est, habent enim saepe multiplicem significationem, ex qua oritur inter Theologos in

hac materia diuersa opinio, cum in re fortasse non sit diuersitas. Et ita exiitmo accidisse in proposito exemplo. Nam Alensis, quaest. 3. membro 4. & Paludanus supra numero 33. negant, posse confici ex filigine, existimo tamen illa voce significasse auenam, quae interdum ex tritico per corruptionem generatur, & interdum filigo a Latinis nominatur. Circa mentem autem Diui Thomae superest hic nonnulla difficultas, propter rationem eius, dicit enim filiginem generari interdum ex tritico propter malitiam terrae, quod non videtur, conuenire filigini, prout a nobis explicata est, quia diximus esse perfectissimum triticum, sed de hoc dicam inferius. Secundum exemplum est, alica, seu alicastrum, quod Columel. lib. 2. de re rust. cap. 6. dicit esse semen trimestre, ponderis & bonitate praecipuum, vnde Hispanice dicitur, Trimestino, de quo nulla potest esse controuersia, cauenda tamen est aequiuocatio vocis, nam alica, aliam etiam significationem habere potest. Vnde Galenus lib. 1. de aliment. facult. dicit esse triticum, vel farris genus, tritico simile, de quo farre statim dicemus, interdum vero haec vox non granum, sed confectioem quandam significat, vt constat ex Calepino & Plinio lib. 18. cap. 11.

Tertio sequitur, quando cunctique granum aliquod tale est, vt sit dubium, an sit triticum, necne, panem ex illo confectum esse materiam dubiam, quod satis est, vt practice & moraliter nunquam in illo conficiendum sit, quod sine vlla exceptione docuit Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 11. neque ego audeo illam adhibere, quia est res grauissima, & huic Sacramento summa reuerentia debetur, vnde cum alias non sit Sacramentum necessitatis simpliciter, nulla videtur, posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendum illud, nisi in materia certa. Exempla huius rei sunt tria potissima. Primum est spelta, quam Alens. Palud. & Soto iudicant esse materiam insufficientem: quod tamen negat D. Tho. hic, & in 4. d. 11. q. 2. art. 2. quaest. 11. ad 3. & ibi Richar. & Carthus. Syluest. Angel. & alij Summis. Ego, vt verum fatear, non satis deficiente concepti, quid rei subit huic voci, vt possim iudicare sit triticum, necne, quia vox illa, quantum assequi possum, neque est Latina, neque Hispana. Est autem quoddam genus frumenti, quod latine, Zea, dicitur, graece zia: quam vocem exponens Calepinus dicit Hispanice vocari, Spelta, ego tamen non agnouit hanc vocem in nostra lingua. Zeam autem dicit esse speciem hordei.

D. autem Hierony. Ezech. 4. circa illa verba, sime tibi frumentum & hordeum & milium & vitium, notat loco, vitij, Hisp. arucias, septuaginta veris, olyra, quod ipse interpretatur, auena, vel, Secale. Et addit Symmachum, & Aquilam veris Zeam, quod ipse exponit, id est, far: addens, gentili Italiae, Pannoniaque sermone vocari, Speltam, itaq; insinuat Speltam & Zeam, idem esse, & non esse tritici genus. Plinius enim libro 18. capite 8. Zeam, a tritico distinguit Galeus item lib. 1. de alimentorum facultatibus, varie loquitur, Dioscorides etiam libro 2. cap. 80. alias 114. distinguit duplicem Zeam, aliam simplicem, aliam quae geminis putaminibus, grana bina iuncta tenet, & Hispanice vocatur Ladilla, & haec sine dubio non est triticum, sed genus hordei, & iumentorum pabulum. Vnde si haec sit spelta, non dubito, quin non sit materia, de illa vero prima non possum ferre iudicium, quia res est mihi ignota.

Secundum exemplum est, far, quod Paludanus & Soto putant sufficere, quia credunt esse speciem tritici optimam, quae Hispanice dicitur, Scandia, seu, Scada apud Astures, & aliquid credunt esse, quod vulgo dicitur Candea, & idem fortasse est, quod Alensis vocat Candit, nam haec vox non est Latina, neque scio, quid aliud significet. At vero Diuus Thomas, quem Marfil. Syluest. Angel. & alij sequuntur, negant far esse materiam, quia non existimant esse triticum. Vnde certum est, hac voce non significasse idem, quod praecedens.

Alensis Paludan.

Galenus.

Calepinus Plinius.

Corollarij.

Alanus.

Alens. Paludan. Soto. Marfil. Richar. Carthus. Syluest. Angelus.

S. Hieron.

Plinius. Galenus.

Dioscorid.

præcedentes authores, nam de re illa dubitari non potest, quin sit verum triticum, fortasse ergo significarunt aliquam aliam speciem grani nobis ignotam, nam & apud nos in Boetia dicitur esse granum, quod dicitur Scandia, & non reputatur triticum, sed pabulum fumentorum, in aliis vero locis dicitur esse aliud genus grani distinctum ab hordeo, & à tritico, nullum habens putamen, seu tunicam, & vulgo appellatur farro, quamvis hæc vox interdum apud nos significet etiam farinam hordeaceam, itaque varietas nominum efficit ambiguitatem in rebus, & cum ipse alias non satis nota sit, tota res fit incerta, si tamen loquamur de farre, quod à Latinis dicitur semē adoretum, far illud sine dubio ponitur inter species tritici, ut patet ex Plinio, libro 18. capite 3. ubi dicit esse granum durissimum, & firmissimum: indicans esse perfectum valde, & magni ponderis, & Columella libro secundo, capite sexto, dicit Alicastrum esse speciem farris.

*V. Atria.*

Tertium exemplum est typha, Hispanè Centeno, de quo aliqui putant esse sufficientem materiam. Ita Victoria numero 55. qui dicit, de hoc fuisse locutum Divum Thomam nomine filiginis, nam dicit ex grano tritici seminato in malis terris nasci filiginem, quod est verum de typha, non de perfecto tritico, & ita etiam intellexit Divum Thomam Ledesma, licet hanc opinionem deserat. Ratio vero huius sententiæ est, quia existimat typham essentialiter esse triticum imperfectum tamē accidentaliter. Contrariam sententiam tenet Ledesma, & nonnulli Summistæ, qui existimant typham revera non esse triticum, quia licet interdum vitio terræ ex illo generetur, illud tamen est per modum corruptionis, sicut interdum etiam ex tritico oritur auena, aut lolium, & posset exponi Divus Thomas, ne huic sententiæ sit contrarius, ut loquatur de filigine in significatione supra posita, nam etiam à Latinis dicitur vitium tritici quia licet candore & sapore præstet, tamen virtute & potestate ad nutriendum à tritici perfectione degenerat, quod potest interdum ex imperfectione terræ, vel frequentiatione provenire. Loquendo ergo proprie de typha, seu Centeno, mihi est materia dubia, quia neque ex figura, colore, aut proprietate mihi satis constat, qualis sit differentia inter illam & triticum, neque ex eo, quod generetur ex tritico, potest alterutrum inferri, quia illa generatio esse potest, cum substantiali & cum accidentali diversitate, qualis autem illa sit, aliis signis investigandum est. Unde licet negatiue recte inferatur, illud granum, quod nunquam generatur ex tritico, non esse triticum, tamen affirmatiue non sequitur illud, quod generatur ex tritico, esse triticum. Relinquitur ergo dubia hæc materia, & ideo in praxi illa non est vtendum, ut dixi.

*Ledesma.*

*4. Corollariū.*

Quarto sequitur, quid dicendum sit de pane confecto ex diversis granis, farinis aut malsis, distinctione enim opus est: nam si omnia ista sint triticea, licet sint diversæ speciei, non refert, cum tota illa materia & singulæ illius partes sufficiant, si autem mixtio fiat ex aliis frumentis, & maior pars cum notabili excessu sit triticea, censeripotest sufficiens materia, quia in usu omnium hominum ille panis iudicatur triticeus, alias panis confectus ex tritico male purgato, non esset sufficiens, quod est plane falsum. Ratio vero est, quia illa maior pars, adiuncta contusione, seu coctione, censetur alias particulas trahere ad suam speciem, & ita confici mixtum eiusdem rationis cum pane triticeo. Si vero pars triticea sit minor, vel etiā æqualis, non erit tota illa materia sufficiens, ut sentit hic Divus Thomas ad 3. & Bonaventura distinct. 11. artic. 4. quaest. 4. ad 3. & ratio, quia vel sit perfecta mistio, & sic maior pars trahit minorem in suam speciem, vel si sit æqualis, utraque corrumpetur, & fiet vnum tertium distinctum, vel solum sit mistio imperfecta, per iuxta positionem, & tunc pars illa, quæ fuerit triticea, erit materia, & non alia, tamen pro-

*8. Bonaventura.*

pter confusionem, tota illa materia non erit in usu consecrando, legatur Alenf. quaest. 32. mem. 4. Maior dist. 11. quaest. 3.

Ad argumenta contrariæ sententiæ solutio patet ex dictis. Ad primum enim iam ostensum est nomine frumenti & panis simpliciter dicti, intelligi panem triticeum, & ita esse explicatum in Conciliis, & communi consensu, & traditione Ecclesiæ. Ad secundum respondetur, panem triticeum esse satis certam, satisque communem materiam, cuius signum est, quia hæcenus practice & moraliter nunquam fere dubitatum est in particulari, & in individuo de tali materia, neque alicui deficit, quia quamvis fortasse in aliqua regione non generetur triticum, facile importari potest. Nec refert ad materiam Sacramenti, quod grana tritici specie differant, necne, quia Sacramenti veritas non pendet ex specifica unitate materiæ, tantum ergo de illius necessitate est, quod sit panis triticeus. Verisimile tamen est, quod Divus Thomas hic ad secundum, & Bonaventura & Durandus, ac fere alij Theologi sentiunt, omne triticum esse eiusdem speciei substantialis, quia inter ea non apparet tanta diversitas accidentium aut effectuum, quæ substantialem diversitatem indicet. Ad tertium Caietani respondetur, falsum esse & incredibile quod alium, tantam enim diversitatem experimur, inter farinam hordei, verbi gratia: & tritici, & inter panem hordeaceum & triticeum, quanta est inter ipsa grana, ut conitit ex qualitatibus & effectibus, quos experimur, nec est vlla probabilis ratio ad credendum oppositum, nam cum proxima materia sit specie diversa, sola contusio non satis est, ut farinæ sint eiusdem speciei cum illa non sit causa per se, sed per accidens, alias quidquid per talem contusionem generaretur, siue ex frumentis, siue ex petra, aut ex lateribus, aut ex alia quacunque simili re fieret, esset eiusdem speciei. Item sequitur, panem ex granis, vel ex leguminibus confectum esse eiusdem speciei, quia sanguis inde generis etiā esse eiusdem rationis. Unde non est simile exemplum sanguinis, quo Caietan. utitur, quia sanguis habet principium per se & proximum, ac eiusdem rationis in vivente, à quo generatur, & ab eodem materia cibi, quæcunque illa sit, disponitur ac preparatur ad talem formam, mediis aliis transmutationibus: at vero farina resultat ex granis contusis, per modum cuiusdam mistionis, & ibi contusio solum se habet, ut conditio sine qua non, & ideo non satis est, ut, quod resultat, sit eiusdem speciei, sed potius est diversum iuxta qualitatem miscibilium & idem proportionaliter est de pane, quia media coctione ex farina & aqua conficitur.

## SECTIO II.

*Utrum materia huius sacramenti sit solus panis vsualis ex farina triticea & naturali aqua confectus.*

Explicuimus veluti remotissimam materiam, & substantialem: nunc declarare oportet qualitatem eius, seu modum quo confici debeat.

Dico ergo primo, de necessitate huius materiæ esse, ut sit panis ex farina triticea, & sola naturali aqua coagmentatus, ita Divus Thomas hic articulo 7. ad 3. Paludanus distinctione 11. quaestione 1. numero 33. Richardus artic. 2. quaest. 2. Sotus distinctione 9. quaest. 1. arti. 6. ad 3. Angel. verbo, Eucharistia. 1. nu. 7. Sylvest. quaestione 2. Alan. libro 1. capite 11. Ratio est, quia panis communis & vsualis, quo vtuntur homines, veluti comes aliorum ciborum, solum sic ex materia triticea, & aqua naturali: & utraque est æque necessaria, ut huiusmodi panis coalescat: sed materia huius sacramenti est panis triticeus & vsualis: ergo, confirmatur, nam propter hanc causam panis confectus ex farina, lacte, oleo aut simili liquore non est materia huius sacramenti: quia re vera non est panis, sed